

MILENA MINKOVA

DE RATIONIBUS PRAETERITIS, PRAESENTIBUS, FUTURIS INSTITUTI STUDIIS
LATINIS PROVEHENDIS APUD UNIVERSITATEM STUDIORUM KENTUKIANAM
ANNOS ABHINC VIGINTI CONDITI¹

Hic annus vigesimus est inde ab Instituto studiis Latinis provehendis apud Universitatem studiorum Kentukianam condito. Hoc igitur tempore paulisper disserere iuvat de rationibus Instituti praeteritis (secundum quas est conditum), praesentibus (quibus fultum nunc viget) necnon futuris (quarum subsidio nitimur ut pergat atque promoveatur).

Quid est Institutum? Vocare enim id solemus Institutum studiis Latinis provehendis seu simpliciter Institutum. At quid est reapse Institutum studiis Latinis provehendis? Est quidem curriculum certificationis² discipulis graduatis destinatum. In academia nostra talia curricula certificationis vocantur series scholarum ad provinciam quandam peculiarem pertinentium bene definitam, quae scholae solitis in curriculum locum praecipue attributum non habent. Institutum lingua vernacula “Graduate Certificate Curriculum in Latin Studies” nuncupatur³. Eius provincia in toto patrimonio Latino lingua viva docendo versatur. Institutum quidem vocatur, cuius verbi prima significatio antiqua est ratio propositumque vivendi atque agendi. Apud nos Institutum non tantum est curriculum scholasticum, sed etiam ratio ipsa vivendi et agendi. Conditum est Institutum a Terentio Tunberg professore anno 2001^o, quo ipso anno ipsa sum quoque in Universitatem studiorum Kentukianam ascita ut litteras humaniores docerem. Inde ab eo tempore elapsi sunt anni viginti.

Quae sunt causae Instituti condendi, quae sunt eius origines? Repetamus Instituti ortus paulo longinquiores. Post secundum bellum universale anno 1956^o suadente doctore machinario Francogallo Ioanne Capelle primus omnium gentium conventus Latinitati vivae colendae est convocatus. Ex toto orbe terrarum Latinitatis studiosi Avennionem confluxerunt ut rationes communes quaerent quibus sermo Latinus coleretur.⁴ Mundo bello atque discordiis dilaniato spes quaedam collocabatur in lingua Latina tamquam in nuntia pacis, tamquam in instrumento cum concordia communicandi. Post conventum Avennionensem celebratum alii alia Latinitatis vivae incepta promovere coeperunt.⁵ Haec ipsa Academia Latinitati Fovendae anno 1967^o condita, in quam nunc sumus congregati, quodammodo huius nisus est effectus. Nonnulla

¹ Haec oratio menstrua Academiae Latinitati Fovendae Kalendis Maiis anni 2021 est habita.

² *Certificatio, onis*, f. invenitur in Renati Hoven *Lexique de la prose latine de la Renaissance*, L. Graillet cooperante, editio secunda nonnihil retractata, una cum versione Anglica a C. Maes parata, a K. Renard-Jadoul retractata (Lugduni Batavorum: Brill, 2006; prima editio 1994).

³ <https://mcl.as.uky.edu/latin-institute>.

⁴ *Premier congrès international pour le latin vivant*. Avignon, 3-6 septembre 1956 (actes), edidit Eduardus Aubanel, Avennionae, 1956.

⁵ Quorum conspectus inveniri potest in Milenae Minkova *Conversational Latin: 1650 to Present*, in: *Brill's Encyclopaedia of the Neo-Latin World*, Macropaedia, ediderunt Philippus Ford, Ioannes Bloemendal, Carolus Fantazzi, Brill, Lugduni Batavorum et Bostoniae, 2014, pp. 83-86.

quoque Latinitatis vivae seminaria in Europae partibus occidentalibus sunt inaugurata. Terentius Tunberg qui studia gesserat in California, Anglia et Canada necnon erat studiosus cum Latinitatis vivae, tum totius patrimonii Latini, quibusdam seminariis Germanicis interfuit, unde desiderium ei incessit Latinitatis vivae seminarium in solo Americano auspicandi omnibus hominibus dicatum. Nam quaedam seminaria in ipsa Ecclesia Catholica participibus religiosis destinata antea exstabant. Anno 1996^o Terentius Conventiculum Latinum Lexintoniense apud Universitatem studiorum Kentukianam Lexintoniae in Kentukia, in parte Americae Septentrionali plus minusve media incohavit—hoc erat in America Septentrionali primum conventiculum Latinum quod a nulla religione penderet omnisque generis participibus destinaretur. Annus igitur 1996us est maximi momenti. Illo anno Conventiculum Lexintoniense est conditum eo proposito ut Latinitas viva, sed etiam ut Latinitas recentior coleretur. Quod propositum erat ferax.

Cuius primi conventiculi Lexintoniensis annos abhinc viginti quinque inaugurati imaginem inspicere licet (*imago ostenditur*). Paulatim, revera satis cito, Conventiculum crevit, multiplicatum, auctum est. Ultimis annis septuageni vel octogeni participes ex omni orbis terrarum angulo confluebant, ex sex terris continentibus, ex America septentrionali et ex America meridiana, ex Europa, ex Australia et Oceania, ex Africa, ex Asia, reapse ex omnibus Antarctica excepta. Veniunt professores academici, magistri ex lyciis necnon ex scholis mediis, discipuli doctorandi, magistrandi, baccalaureandi, discipuli qui adhuc in scholis versantur, pueri puellaeque, etiam infantes una cum tota familia, rude donati, sacerdotes et religiosi, cultores voluptarii linguae Latinae, periti aliarum rerum, iurisprudentiae, medicinae, musicae, rei computatoriae et ita porro. Adiunxi hic paucas imagines praesertim recentiores, ex quibus pateat quam amplum atque varium sit conventiculum Lexintoniense (*imagines ostenduntur*). Ceterum in omnibus imaginibus, quibus hanc acroasiunculae meae partem instruxi, academia Kentukiana ostenditur: turris in qua sunt nostra scriptoria, aedificia vetustiora in quibus conventicula celebrantur, magnum aedificium in quo multa conclavia scholastica sunt sita.

Conventiculi successus erat magnus. Paucis annis elapsis et nonnullis conventiculorum participibus sciscitantibus numquid conventiculi simile inter annum academicum exstaret vel exstare posset, statuit Terentius atque omni modo est conisus ut curriculum academicum institueretur in quo litteris Latinis omnium aetatum opera daretur idque solummodo fieret Latine. Itaque Institutum studiis Latinis provehendis ob Conventiculi successum anno 2001^o est conditum.⁶ At velim hic paulisper consistere atque considerare effectus conventiculi qui longius latiusque patebant. Priore millennio exeunte Terentius in viam asperam, arduam atque salebrosam se dare debebat. Nonnulli hoc de incepto exsultabant, sed erant quoque multi qui nasum corrugarent. Obiciebant enim linguam Latinam iam dudum esse mortuam; Latinitatis vivae cultores non esse indagatores; scriptores recentiores antiquioribus esse deteriores nec in scholis tradendos. Latine loqui hominis paene mente capti esse innuebant. Quantopere inde ab illo tempore res sunt mutatae! Nam hisce temporibus magistri methodos quae vocantur activae petunt, scripta posteriora discipulis praebent; seminaria Latinitatis vivae tot exstant quot vix numerare possim, homines facultate ex tempore loquendi gloriantur, ne plura dicam – Latinitas

⁶ De Conventiculo et de Instituto legi potest Milenae Minkova et Terentii Tunberg *Global Latin, Active Latin-Kentucky and Beyond*, in: *Communicative Approaches to Ancient Languages*, ediderunt Maria E. Lloyd et Stephanus Hunt, Bloomsbury Academic, Londinii, Novi Eboraci, Oxonii, Delii Novi, Sydneii, 2021, pp. 125-32.

viva est in pretio. Puto me non erraturam esse, si huius mutationis maximam laudem Terentio contulerim. Inde enim a Conventiculo et ab Instituto inaugurato non tantum multi Latinitatis vivae fautores, sed etiam multa exempla sunt exorta in America Septentrionali et dein ad alias huius mundi regiones perlata.

Secundum quae principia est Institutum conditum? Duo sunt initia atque fundamenta Instituti aedificandi. Alterum ad totum patrimonium Latinum, a temporibus priscis usque ad tempora nostra, tradendum, tractandum, investigandum pertinet. Cur enim saeculo secundo sit consistendum? Quidni Latinitatem integram consideremus a temporibus antiquissimis usque ad nostros dies? Aetates posteriores nullo modo sunt praetermittendae, praesertim vastus atque varius recentioris Latinitatis thesaurus. Cogitemus de Erasmo Latinitatis colosso cum Cicerone facile aequando, cogitemus de scriptoribus qui totum orbem terrarum perlustratum descripserunt necnon inter plures populos commercia, cogitemus de scriptis quibus scientiarum fundamenta ponebantur, ut Copernici, Neutronii, Keplerii, cogitemus de fabulis sive mythistoriis in quibus quaerebat scriptor qui esset vitae communis humanae ordo optimus, ut fecerunt Morus et Holbergius. Propositum est in Instituto hoc de patrimonio plura discere. Agnovimus igitur linguam Latinam numquam florere destitisse—accipiendum tum est nos quoque ea tamquam viva atque florenti uti posse. In Instituto lingua Latina tamquam viva adhibetur. Latine legimus, Latine scribimus, Latine audimus, Latine loquimur—sunt quidem quattuor actiones supplementariae necessariae.

Fiunt revera in Instituto dialogi vividi atque vivi. Ceterum ipsius Instituti nostri symbolum est Petrarca. Quam imaginem a quondam alumno nostro Publio Parsons magistro Latino et rei musicae peritissimo pulcherrime delineatam nunc ostendo. Potuit Petrarca antiquos sine ullis impedimentis adire: scripsit ad Ciceronem (idque bis), ad Livium, ad alios scriptores antiquos. Nos quoque loqui et sermocinari possumus cum Petrarca, cum auctoribus Latinis, loqui et sermocinari possumus etiam inter nos de toto patrimonio Latino necnon de aliis rebus summi momenti.

Qui vero sunt Instituti discipuli? Nostri discipuli veniunt, ut conventiculorum participes, ex sex terris continentibus. Quidam eorum iam gradibus academicis sunt ornati, non tantum gradu baccalaureatus, sed quoque gradu magistrali (vel etiam interdum gradu doctorali): e.g. in studiis mediaevalibus, in Novo Testamento, in lingua Anglica tamquam lingua externa docenda, et ita porro. Qui utcumque ad certificationem quae curriculo nostro praebetur petendam veniunt. Plerumque Instituti discipuli etiam magistrandi sunt (in programme magistrali rerum classicarum quae vocitantur). Nam novenae horae academicae vel ‘credita’ (et ‘creditum’ est mensura horarum, quae singulis septimanis in qualibet schola aguntur)—novena, inquam ‘credita’, quae quisque in Instituti scholis meretur, pro novem ‘creditis’ ab eodem discipulo in curriculo magistrali acceptis valere possunt. Interdum discipuli quoque partim baccalaureandi in nostra certificatione versantur. Exstat enim in academia nostra programma peculiare eis discipulis destinatum qui programma baccalaureatus una cum programme magistrali spatio quinque vel etiam quattuor annorum perficere queant ut utroque gradu orientur—vocatur “University Scholars Program.” Huius curriculi participes saepissime sunt etiam curriculi certificationis studiosi. Quoteni autem discipuli singulis annis ad Institutum veniunt? Plerumque terni, quaterni, interdum quini. Plus minusve iam sunt octoginta discipuli qui curriculum certificationis absolverunt. Quo autem proficiscuntur illi studiis apud nos peractis? (Ceterum non

omnes cupiunt proficisci: quidam incipiunt Kentukiam valde amare et cupiunt nobiscum diutius manere). Apud nos nondum exstat programma doctorale (reapse hoc ipso temporis est propositum curriculi doctoralis condendi, sed ob luem praesentem omnia iacent et sunt incerta). Ergo discipuli saepe loca in curriculis doctoralibus variarum provinciarum petunt, e.g. litterarum classicarum quae vocitantur, rerum gestarum, philosophiae et aliarum disciplinarum. Loca in curriculis doctoralibus exoptata discipuli saepissime obtinent. Permulti autem eorum fiunt magistri, in scholis publicis, privatis vel semiprivatis. Optima quidem docendi munera invenire solent. Memorandum quoque est in facultate nostra exstare programma magistrale magistris futuris erudiendis—nonnulli ex discipulis nostris hoc programma quoque sequuntur. Maximo nobis est gaudio cum quondam discipuli iam magistri facti discipulos suos sua vice ad nos mittunt—quos tamquam quosdam nepotes habere solemus.

Aliquid nunc de Instituti scholis est dicendum. Duae exstant scholae compositionis: altera schola compositionis Latinae introductoria et altera schola compositionis Latinae provectoribus destinata. Schola introductoria non est pars Instituti; est enim schola praeparatoria quae ante omnia Anglice habetur cum quibusdam elementis Latinis. Schola provectoribus destinata maxima ex parte Latine docetur cum quibusdam explanationibus Anglicis. Hic notandum est in omnibus aliis Instituti scholis esse nefas linguis vernaculis uti omniaque semper fieri solummodo Latine. Ut ad scholas compositionis revertar—apud nos compositio numquam intellegitur tamquam versio ex lingua vernacula facienda, ut saepe fit in terris Anglice loquentium, sed tamquam creandi actio. Non vertere, sed de integro componere nobis est summi momenti. His in scholis usurpamus librum a me atque a Terentio Tunberg professore conscriptum cui titulus *Readings and Exercises in Latin Prose Composition*.⁷ Quo in libro sunt excerpta ex variis scriptoribus qui a temporibus antiquis ad tempus renatarum litterarum floruerunt. Post unumquodque excerptum exercitia proponuntur non solum ad varia argumenta grammatica, sed etiam ad locum excerptum perlectum pertinentia. Exempli gratia, in quodam capite legitur epistula Senecae de diaeta strepitosa supra balneo sita et tractantur enuntiata attributiva, i.e. enuntiata relativa et participia attributiva. Inest huic capiti exercitium quod continet dialogum inter Senecam et Lucilium—discipuli mutare debent enuntiata relativa in participia attributiva. Vel in capite in quo variae notiones ad locum pertinentes tractantur et epistula Plinii prima de monte Vesuvio ignes vomente legitur, aliquot dialogi ficticii praebentur (inter Plinium et tabellarium, inter Plinium et nautas etc. habiti), in quibus adverbium localia discipulos supplere oportet. Toto in libro omnia exercitia ita sunt exarata ut semper a lingua Latina proficiscantur et in eam redeant. Nihil revera a lingua Anglica pendet, sed fit ut discipuli Latine cogitent linguaque Latina imbuantur. Alia res maximi momenti his in scholis sunt pensa. Exstant enim multa pensa scribendi: duodecim in prima schola scribendi, in secunda schola scribendi sex longiora. Pensa varia sunt: constant ex compositionibus, mutationibus, sententiarum retractationibus. Discipuli tali modo procedunt: prima manu pensum conscribunt (praeteritis temporibus hoc charta et calamo fiebat, nunc ratione electronica), magistro seu magistrae tradunt; dein quibusdam rebus a magistro adnotatis (nullis tamen responsis suppeditatis) de penso iterum cogitant discipuli, mente id volvunt, ad magistrum scribunt vel cum eo congregiuntur ut disceptent; his omnibus factis secunda versio paratur et magistro traditur pro qua notae discipulis attribuuntur. In luce est ponendum notas apud nos minimi esse momenti.

⁷ Milenae Minkova et Terentii Tunberg *Readings and Exercises in Latin Prose Composition, from Antiquity to the Renaissance*, Focus Publishing (nunc Hackett), Portu Neocomensi in Massacusetta, 2004.

Nolumus enim discipulos de notis cogitare, sed de scientiae incremento. Hanc rationem pensa scribendi et retractandi laboratorum pensorum vocare iuvat; quo in laboratorio efficitur ut discipuli compagem linguae Latinae penitus intellegant.

Quae sunt praeter scholas compositionis scholae Instituti in quibus litterae Latinae docentur (quae scholae tantum Latine nec ulla alia ratione fiunt)? Docemus totum patrimonium Latinum quod fit duabus in scholis. In altera litterae antiquae comprehenduntur usque ad medium aevum, in altera litterarum recentiorum conspectus praebetur. Interdum secundum genera scribendi docemus, e.g. fuit quaedam schola de epistulis, in qua legebantur Cicero, Seneca, Abaelardus et Heloisa, Erasmus, Iustus Lipsius. Interdum docemus scholas de quodam argumento praecipuo, e.g. exstitit schola de notione suorum et alienorum (ibi legebantur Erasmus, Petrus Martyr qui de novo orbe scripsit, Ioannis Petri Maffei *Historiae Indicae*, Augerius Busbequius Sacri imperii Romani legatus qui Epistolas Turcicas misit; disceptabamus autem semper apud hos auctores qui essent sui, qui alieni). Interdum docemus paria opera—e.g. Taciti *Dialogus de oratoribus* cum Erasmi *Ciceroniano*, vel Ciceronis *De re publica* cum Mori *Utopia*). Fit quoque ut litterae Graecae Latine explicentur—tali modo Terentius cum discipulis Platonem et Xenophontem tractabat. Tales sunt scholae apud nos.

Exstat tamen quoque apud nos vita quaedam Latina. Primum sessiones additicias breviter memorabo quae apud nos per duo decennia celebrabantur. Schola Latine loquendi tum non exstabat, ergo nos modo voluntario bis, ter, quater in hebdomade has sessiones suppeditabamus. Discipuli sponte sua veniebant. Legebamus varia colloquia Latina, describebamus imagines, pervolvebamus Diaria Latina a Carolo Egger exarata vel quaedam a Valerio Maximo anecdota conscripta. Exinde materies disserendi sumebatur. Omnes modo remissiore se gerebant—e.g. eodem tempore prandebant vel merendam comedebant. Nunc tamen vera schola loquendi est instituta, quae est pars curriculum certificationis. Utcumque sunt nobis singulis hebdomadibus prandia Latina, in quibus maximo gaudio cum discipulis comedimus et de omnibus rebus sermocinamur. Discipuli quoque suas cenas Latinas singulis hebdomadibus celebrant. Saepe etiam ambulationibus delectamur. Exstat enim Lexintoniae pulcher hortus botanicus Arboretum appellatus, ubi inter arbores et varias plantas spatari iuvat. Haud procul a Lexintonia Oppidum tremulorum est situm—agitur de musaeo oppiduli ubi quondam tremuli illi (Anglice Shakers) habitaverunt. Sunt ibi multae amoenitates quae nos ad deambulandum alliciant. Exeunte autem unoquoque anno academico caerimoniae sollemnes nobis sunt, inter quas ei qui curriculum Instituti perfecere diplomatibus honestantur. Quidam etiam discipuli domum suam Latinam condiderunt—aedes una conducunt in quibus semper Latine loquentes habitant. Cum Theodericus Sacré professor et Academiae Latinitati Fovendae praeses tempore quo anniversarium decimum Instituti celebrabamus ad acroases habendas Lexintoniae versaretur (qua re nos magno honore affecit), ante discessum suum animadvertit nos Latine vivere. Quae verba memoriae tunc tradidi—et reapse est apud nos vera vita Latina.

Nunc de quadam re nova: exstat apud nos iam curriculum Instituti etiam eminus vel e longinquo praebendum.⁸ Terentius (ideoque dico Terentium bis Institutum condidisse) hanc notionem excogitavit scholas e longinquo habendas condendi. Qua de causa? Hoc non factum est ob morbum in praesenti saevientem. Causa est quod multi rogabant num liceret e longinquo scholas

⁸ <https://www.uky.edu/academics/graduate-certificate/latin-studies-graduate-certificate-online>;
https://online.as.uky.edu/latin-studies?program=latin_studies_cert

adire. Variarum regionum enim incolae hanc linguae Latinae rationem sequi volunt nec semper possunt domicilia, familias, munera relinquere, solum vertere, in Kentukiam Lares transferre. Utile est igitur tales scholas praebere, in quibus cum participibus e longinquo communicemus. Hic annus est primus, quo discipulos e longinquo habemus—et sunt iam ex aliquot terris continentibus oriundi.

Volo hic consistere et cogitare num sit utilitas praecipua, si nostris rationibus institutionem Latinam a vitilitigatoribus defendere velimus. Quae sunt emolumenta rationum secundum quas Institutum est aedificatum? Non desunt enim his temporibus vitilitigatores qui dicant vix operae pretium esse in linguam Latinam incumbere. Linguam Latinam longe a nostris curis distare, discipulis esse inutilem atque supervacaneam. At si totam Latinitatem studiis nostris amplectimur, scripta recentiora nobis suppeditant rationes quibus vitam communem nostram melius intellegamus. E.g. nunc homines de ratione rei publicae ordinandae saepe disceptant: hac in disquisitione optime adiuveret et Thomae Mori *Utopia* et Holbergii *Nicolai Klimii Iter subterraneum* et fortasse Barclai *Argenis*. Nostram vitam eiusque provincias penitus intellegere nequimus nisi eius radices accurate investigavimus. Etiam lingua Latina potest videri inutilis si tamquam mortua docetur, si discipuli scripta tantum in linguam vernaculam vertunt nec sciunt qua de re in eis agatur. At discipuli qui linguam Latinam tamquam vivam habent, linguae Latinae consuetudine penitus fruuntur, auctores Latini eis sunt comites pergrati, fidi consultores, ut ait Erasmus⁹.

Quid autem de Instituto augendo? Cogitabamus de novis professoribus asciscendis et iam inde ab autumno anni 2021i nova professor in universitate studiorum nostra erit Lenia Ribeiro Leite Latinitatis vivae apud Brasilienses antesignana, quae quoque campum ingentem necdum exploratum Latinitatis Americae Meridianae investigat. Gaudemus nos habituros nobiscum Leniam quae magnopere conferet in linguam Latinam tamquam linguam universalem nec tantum Europaeam tractandam. Alia ratio Instituti augendi in conventiculis electronicis celebrandis constat. Hoc nunc ob luem facimus, sed puto fore ut haec ratio postea non evanescat. Nam hac in ratione sunt nonnulla commoda. Participes non debent longum iter et magnam impensam facere (e.g. Australiani per viginti et quattuor horas), defatigati Lexintoniam pervenire. Tantum computatorium erit accendendum. Conventicula coram quoque celebrabuntur, sed ratio ea a longinquo celebrandi manebit. De curriculo certificationis e longinquo habendo iam disserui. Curriculum coram habendum manebit et erunt discipuli qui Lexintoniae versentur, sed aliis licebit e loquinquo participare. Volumus quoque conari plura subsidia de Latinitate recentiore praeparare. Olim collega noster Alanus Scaife professor rerum electronicarum peritissimus pro dolor nimis mature e vita ereptus magnum repositorium colloquiorum discipulis magistrandis adjuvantibus parare coeperat.¹⁰ Hoc tempore ego et Terentius, una cum Marco Lauersdorf professore ex universitatis studiorum nostrae facultate glottologica in propositum redintegrandum paucis discipulis nobiscum operam dantibus incumbimus. Initio aliquot colloquia Erasmi, Pontani et Schottenii taeniis infiximus, pelliculas visificas fecimus una cum inscriptionibus Latinis seu Anglicis (nam permultis hominibus hae destinantur), colloquia adnotationibus Latinis, interrogatis Latinis, dialogorum initiis aliisque subsidiis instruximus. Volumus hac in via progredi et subsidia parare praesertim de litteris Latinis recentioribus omnibus aperta quae pluribus hominibus sint adiumento.

⁹ In colloquio *Abbatis et erudita*.

¹⁰ In situ retis universalis <https://www.stoa.org>.

Haec habui quae hodie dicerem. Quod benigne me audivistis, gratias vobis ago plurimas.

mmink2@uky.edu